

EPISTOLA  
 I V L I I P F L V G I I  
 A D  
 H E S S V M.  
 S. P. D.

**V**Ereor ne tibi suspectus sim nomine negligentiae, quod tardius aliquando epistolae ei, quam superiore tempore a te accepi, respondeam. Tu vero, mi Hesse, sic habeto, me hactenus non habuisse homines idoneos, quibus literas ad te darem. Quanquam vicarius episcopi vestri, antequam abiret, denunciauit mihi, si quid ad te, vel Metureum nostrum vellem. Illius tamen hominis ea fuit festinatio, ut non expectaret, dum litteras, quas jam scripsoram, obsignarem. Praeter hunc, cui epistolam tuto committerem, fuit plane nemo. Habes itaque excusationem, ut mihi quidem videtur, iustain: quam ut protuz singulari erga me benevolentia accipias, maiorem in modum peto, atque illud tibi spondeo, me posthac non commissurum, ut officium meum in hoc genere requiras. Venio nunc ad epistolam tuam, illam quidem et officii et suavitatis plenam. De rebus tuis, quod mihi scripsisti, suit sane iucundum.